



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **CLERUS AC POPULUS BEATUS IOSEPHUS VAZ,**
PRESBYTER, PATRONUS APUD DEUM
ARCHIDIOECESIS GOANAE ET DAMANENSIS IN INDIA CONFIRMATUR Ad perpetuam rei memoriam. - Clerus ac
populus insignis archidioecesis primatialis Goanae et Damanensis in India impenso cultu prosequuntur beatum
Iosephum Vaz, presbyterum, qui ministerio et exemplo sanctae vitae singularis fuit nuntius ac testis Evangelii, quod in
Asiae fines magna sollicitudine propagavit. Qua re ductus, Venerabilis Frater Radulfus Nicolaus Gonsalves,
Archiepiscopus eiusdem Sedis itemque Patriarcha Indiarum Orientalium, communia vota excipiens, electionem beati
Iosephi Vaz, presbyteri, in Patronum apud Deum archidioecesis sua rite probavit atque, litteris die XVI mensis Iunii hoc
anno datis, petivit ut huiusmodi electio et approbatio secundum Normas de Patronis constituendis et ad normam
Instructionis « de Calendariis particularibus atque Officiorum et Missarum Propriis recognoscendis », n. 30, ab hac
Apostolica Sede confirmarentur. Nos vero cupientes tam sollertis Pastoris preces audire, cum constet has electionem et
approbationem ad iuris praescriptum peractas esse, ratis plane habitis iis, quae Congregatio de Cultu Divino et Disciplina
Sacramentorum, tributis a Nobis facultatibus, hac in re egit, summa, qua fungimur, potestate, harum Litterarum virtute
perpetuumque in modum beatum Iosephum Vaz, presbyterum, Patronum apud Deum archidioecesis Goanae et
Damanensis confirmamus, omnibus factis iuribus ac liturgicis privilegiis secundum rubricas consequentibus. Quod
faustum ac felix sit cunctis carissimis filiis istius Ecclesiae, qui de tanto suo illustri concive merito gloriantur. Denique
volumus has Litteras religiose servari suosque effectus nunc et in posterum obtinere, contrariis quibuslibet rebus non
obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXVI mensis Iunii, anno MCMXCIX,*
Pontificatus Nostri vicesimo primo. De mandato Summi Pontificis
ANGELUS card. SODANO © Copyright 1999 - Libreria Editrice Vaticana
